



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 8. In Christi horoscopo, mysteria Christi videri non potuisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

*rum Virginis significat) in culmine verò cali-
erat Saturnus; in imo autem Sol. Quem Ser-
uatoris Horoscopum in figura spectandum
exhibet Sixtus Senensis.*

Sixt. Sen-
nens. lib.
6. Bibli-
oth. c. 10.

§. VIII.

*In Christi horoscopo, mysteria Christi videri
non potuisse.*

Verùm tametsi hoc de ascensu Virginis &
benigno siderum in Christum nascentem aspectu
fidei non repugnat, vt ait Salmeron; repug-
nat tamen rationi, stellam Magis Christi ex
Virgine ortum, mores, miracula, singulá-
que facta ostendere potuisse. Quo pacto e-
nim Christi ex Virgine ortus, transfiguratio,
Crucifixio, Resurrectio, res tam superna-
turales, arte naturali, qualis dicitur esse A-
strologia, deprehendi potuissent? An cha-
racteres aliqui in ea stella cernebantur? &
litteris fortasse scriptum ibi erat: *Virgo pe-
perit: Christus natus est: Crucifigetur: In ca-
lum ascendet?* At cur eas litteras nemo vi-
dit, præter Magos? & quàm Aquilinum eos
visum habuisse necesse est, vt litteras illas
legere possent? multóque magis Astrologi
nostri, quos plerumq; vel maculæ Solis ex-
cæcant, mirabiles esse debent, si tam pro-
cul legere possunt, quæ inscripta sunt in stel-

lis

lis firmamenti, cùm ſæpe non videant foſſam ante pedes patefactam, in quam cælo defixi prolabuntur. Quid quòd omnis Aſtrogorū obſeruatio experienciã nitatur? Aiunt enim, hoc, & illo, & iſto anno, quando Mars cum Ioue concurrit, in Libra, experti ſumus ſeditiones, rebelliones, ſæua prælia extiſſe. Quare etiam hoc anno, in ſimili concurſu, iterum prælia, ſeditiones & rebelliones exiſtent. Hæc eſt ſeu ars, ſeu coniectura, ſeu ſuſpicio ſpumantis arrogantia. At dicant mihi iſti, quam experienciam habuerint, de Virgine paritura? de natiſturo, paſſuro, aut morituro Deo? Nunquam enim, ante Deiparam, vlla Virgo peperit: nunquam ex homine natus, nunquam paſſus, aut mortuus eſt, ante Chriſtum, Deus. Nullam ergo experienciam, & quod inde conficitur, nullam eiufcemodi ſcientiam, è ſtella illa, Aſtrogologi habere potuerunt: ſomnia Præſcilliania habuerunt, & phantaſmata delirorum. Age, qui è ſchola iſtorum prodijſti, dic mihi, quid ex Horoſcopo, ſiue concurſu ſtellarum, qui fit, infante, in lucem ex vtero matris prodeunte, colligis? Nempe ex aſcenſu ſtelle Iouis, conijcis, puerum, qui tunc naſcitur,

hila-

hilarem fore ac Iouialem: ex ascensu Martis, fore pugnacem: ex ascensu Lunæ, varium fore ac mutabilem: ex ascensu Saturni, melancholicum fore ac suspicacē, eò quòd hæc sidera, ad eiusmodi complexiones ac inclinationes, naturalem habeant influxum. Demus tibi hoc. At dic, fodes, quænam stella est, quæ ordinem habeat atque influxum, ad effectus supernaturales? ad miracula producenda? ad Verbi diuini Incarnationem? ad edendum partum, illæsa virginitate? ad genus humanum, ab æterna damnatione, redimendū? Hæc talia nonne fateberis, supra omnem vim stellarum, excedere? & à sola supernaturali omnipotentia Dei perfici posse? Non ergo *Fatum* aliquod in stella Magorum est collocandum.

§. IX.

Potius Christum stellam, quàm stellam Christo fatum fuisse.

Quod vel inde constat, quia Redemptor noster, vti rerum omnium, ita etiam stellarum est Dominus. Quare non fas est, vt ille stellis, sed stellæ illi subijciantur. *Dum non puer ad stellam, ait S. Gregorius, sed stella ad puerum cucurrit, si dici liceat, non stella fatum pueri, sed fatum stellæ is, qui apparuit, puer fuit.*

S Gregor.
hom. 10.
in Ewang.